tuum adfuerim; deinde ut vel uno verbo significes, num mansuetudini tuae placeat, ut ad crastinum diem, horâ octavâ, vultum tuum intuear et manus tuas sanctissimas exosculer. Ita Vale feliciter MDCLXIX.

Roberto Keuchenio

Jcto. Philologo Eximio. 412.

Veni ad jucundissimas tuas literas, non quidem oblivione tui captus, sed molestis quibusdam negotiis turbatus et vexatus, quae etsi minus fuerint gravia tamen eam vim habuerunt, ut me à scribendo averterent. Dabis igitur veniam, Keucheni suavissime et ignosces cunctationi meae, si quid eâ peccatum est. Carmen tuum quo exile Principis descripsisti, magna cum aviditate saepius legi et laudavi Clarissimum tuum ingenium quod tam feliciter et generose versum calcat. Reddidissem tibi poëma, si animo tranquillo et integro fuissem, nunc curis aulicis plenus, et ... confusus, non potui ad carminis tranquillitatem confugere. Melius ille sumet voces à plebe summotas, et versum decoris pedibus includet, cujus animus à spe, metuque et ambitione requiescit. De panegyrico tuo tecum colloqui cupio priusquam illum Serenissimo Electori exhibeas. Quod si crastino die tibi opportunum esset, invisere me, invisere Bibliothecam Principis, spectare grade illud Patris Dionysii domicilium, et lustrare hortum, lubens te expectarem. Vale

Eidem.

Multum atque magna diligentiâ hodie Cluverium evolvi, et locum illum, quem abs me describi cupiisti, nequaquam investigavi. Neque enim liber ille octavus, quo eum exstare perscribis, in toto illo antiquitatis opere reperitur. Itaque quum omnia fermè capita percurrerem, repperi tandem libro 3. haec verba. Cassis ipse CCC millibus, qui Romanum occupaverant solum reliquos ultra Nicrum fluvium et Albim removit 413.

Quæ verba ex Flavio ~~Vopisco~~ Vopisco in Vita Imperatoris Probi desumta sunt, apud quem et ipsa sequuntur: nec cessatum est unquam pugnari, quum quotidie ad eum barbarorum capita deferrent, jam ad singulos aureos singula, quamdiu reguli novem ex diversis gentibus venirent atque ad pedes Probi jacerent. et paulo post: Accepit præterea sedecim millia tyronum quos omnes per diversas provincias sparsit, ita ut numeris vel limitaneis militibus quinquagenos et sexagenos intersereret. In quibus verbis totus ille Fabricii locus, quem ex Cluverio et Vopisco confuse collegit, conspici potest. Sed etiam observavi Cl. Salmasium legisse reliquas ultra Nigrum fluvium et Albam removit; pro quo Cluverius, reliquos ultra Nigrum fluvium et Albim removit, ponit. Sed et Gruterus memorat, se in Palatino M.S. olim deprehendisse, reliquas ultra Nigrum fluvium et Albam removit; ut quidem hujus Probi loci non in hisce Germaniæ partibus, sed fortasse in remotiore terrarum tractu collocandus videatur. In qua tamen sententia ipse non sum, quum mihi veniat in mentem, Romanos sæpe ad Nigrum fluvium notissimum pugnasse cum gentibus, quæ se ex Septentrione in orbem terrarum effuderant; neque video, in quam Germaniæ partem fluvius Niger transferri possit, quum in ipsa Africa currat. Sed me jam Princeps meus avocat, et calamum sistere imperat. Tu Vale feliciter, et me ama MDCLXIX.

414. Guilielmo Fuchsio Serenissimi Electoris Bibliothecario.

Robertus Keuchenius, Jctus Belga, hesterno die mihi scripsit, se Panegyricum carmen in laudem Serenissimi Electoris composuisse, seque summo concupiscere studio, ut illud Principi nostro ipse offerat.

Rogat